



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCX. Ioannis Papae VIII. Ad Aldefonsvm Regem. Monet ecclesiam sancti Iacobi consecrari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.
 Ideoque quia vestræ notitiae fama per hos fratres limina apostolorum lustrantes, per Seuerum & Desiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis est reuelata, paterna vos adhortatione commoneo, in coeptis bonis operibus, gratia duce, perseverare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri & nostra protegat benedictio. Et quotiescumque, filii carissimi, ad nos venire quilibet vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Gallæcia finibus, cui vos præter me Dominus rectores constituit, tamquam iure filios nostros, vos colligimus: & ecclesia Ouentensis, quam vestro consensu & assidua petitione metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et concedimus etiam prædictæ sedi, ut ea quæ reges, seu fideles iuste obtulerunt, vel in futurum, Domino optulante, contulerint; rata, firma, & inconcussa manere in perpetuum præcipimus. Hos quoque laores literarum nostrarum omnes hortor ut habeatis commendatos. Bene valete.

EPISTOLA CCCX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ALDEFONSVM REGEM.

Monet ecclesiam sancti Iacobi consecrari.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Aldefonso glorioso regi Gallæciarum.

LITERAS deuotionis vestræ suscipientes, quia deuotum vos esse cognoscimus erga vestram sanctam ecclesiam: gratias vobis multiplices referimus, Dominum exorantes, ut victor regni vestri * abundet de inimicis vestris victoriæ vobis concedat. Nam nos, fili carissime, sicut petistis, sedulas preces Domino fundimus, ut regnum vestrum gubernet, vos saluos faciat, custodiat, & protegat, & super inimicos vestros ecclesiam autem beati Iacobi ab Hispanis episcopis consecrari facite, & cum eis Concilium celebrate. Et nos quidem, gloriose rex, sicuti vos, a Paganis iam constringimur, die ac nocte cum illis bella committimus, sed omnipotens

^{* det} Deus *dat nobis de illis triumphum. Huius rei gratia roga-
^{* nimis}mus dilectionem vestram, & * animum deprecamur, vt
 quia, vt diximus, valde a Paganis opprimimur, aliquan-
 tos vtiles & optimos Mauriscos cum armis, quos Hispani
 cauallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittas.
 Qualiter nos recipientes, Dominum collaudemus, vo-
 bis gratias referamus, & per eorum portionem de benedi-
 ctionibus sancti Petri vos remuneremus. Bene vale, dile-
 ctiſſime fili & clarissime rex.

EPISTOLA CCCXI.

I O A N N I S P A P Æ V I I I .

AD CLERVM SALERNITANVM.

Ioannes VIII. clero & ordini Salernitano.

D e illis presbyteris qui tempore sanctissimi predecessoris
 nostri domini papa Nicolai excommunicati sacrum
 ministerium contingere præsumperint, ipsi in se damnationis,
 sicuti sancti Canones statuunt, sententiam incur-
 rerunt. Tamen quia miseratio apostolica veniam solet præ-
 stare correctis, ob multitudinem misericordiae illis hanc
 indulgentiam exhibemus, vt sancta communione saginati
 studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni se-
 cunda & sexta feria, aut a vino, aut a cibo penitus iejuna-
 re, & ultra lugenda nequaquam committere.

EPISTOLA CCCXII.

I O A N N I S P A P Æ V I I I .

AD MICHAELM REGEM BVLGARORVM.

Ioannes VIII. Michaeli regi Bulgarorum.

S i ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta
 quæcumque suscipitis, constat quia idolatriam, non
 vt catholici essetis, sed vt schismatici efficeremini, deliqui-
 se videmini.